



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Origines Benedictinae, Siue Illvstrivm Coenobiorvm Ord.
S. Benedicti, Nigrorvm Monachorvm, Per Italiam,
Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Belgium,
Britanniam, aliasque Prouincias. Exordia Ac ...**

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1614

Cellensis Abbatia, in d. Trecensi, in Campania regni Franciae prouincia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11261

CAPVT XXVI.

*Cellensis Abbatia, in d. Trēcensi, in Campania
regni Francia prouincia.*

650.

Coenobium *Cellæ* seu *Cellense* ordinis S. Benedicti, quod etiam coenobium S. Petri *Insulæ Germanicæ*, siue S. Petri de *Calla*, vel *Cella S. Bobini* nominatur (non *Bononi*, vt mendose alicubi scriptum legitur,) non longe ab vrbe *Tricalfina* situm est, & celebritate nominis semper conspicuum existit; tum quod ante complura sæcula prima eius fundamenta iacta sunt, tum quod maximo coenobitarum numero, diuinis officijs & sacrarum litterarum studijs toto pectore incumbentium olim floruerit. Quorum quidem nonnulli ob insignem eruditionem cum pari pietate & sanctimonia copulatam, ad ecclesiastica munera & sacrarum dignitatum apices prouecti sunt, vt manifestum est ex historia S. *Frodoberti*, qui coenobij illius incunabula, Gallici imperij clauum tenente *Clodoneo II.* cirçiter annum 650. excitauit. Idem autem Princeps S. *Frodoberto* solum concessit, in quo memoratum coenobium conditum fuit, quod noto vocabulo *Insulæ Germanicæ* nuncupabatur: cuius fundi circuitus ad decem terræ iugera porrigebatur, sicut disertis verbis conceptum est, & expressum in adprobationis confirmationisque diploma-

650.

ploma-

plomate, dicto S. Frodoberto à Clotario III. Laudati Clodonæi filio, circiter annum 663. concessio, verum non otiosum fore arbitror eas litteras, quo posteris integræ & illibatæ relinquantur, hîc adscribere. Hæc est igitur earum series ex Chartario dicti monasterij bona fide excepta.

Clotarius Rex Francorum vir illuster, regia consuetudine, sinistris petitionibus sacerdotum, in quo nostris auribus fuerint prolata perducimus ad effectum. Igitur Frodobertus monachus ad nostram accessit præsentiam, clementia regni nostri suggestit, eò quòd bonæ memoriæ Dominus & genitor noster Clodoneus quondam Rex per suam auctoritatem sua manu subscriptam, locello nuncupatò insula Germanica, qui paludis esse videtur in suburbano Trecaßium ciuitatis ipsius, Frodoberto monacho, vbi monachuli sub S. regula ad cellulam, quam suo opere inibi construxit, bono creâ decem de ipsa Insula (quòd pars fisci esse videtur) eidem concessisset: vnde & cessionem ipsius Principis sua manu subscriptam, se præ manibus habere affirmat, & rem isto tempore præsentem, quieto ordine adserit possidere vel dominari. Sed pro totius rei firmitate petijt consuetudinem nostram, vt hoc nostrum præceptum in id ipsum plenius confirmare deberemus: cuius petitionem pro reuerentia sanctorum Dominorum prompto animo præstitisse vel confirmasse

H

cogno-

cognoscite. Præcipientes enim ut sicut ab ipso Domno & genitore nostro iam dicto Frodoberto, ipsa Bono crea de terra in subscripto loco legaliter ad ipsam cellam ubi constructa esse videtur, fuerunt concessa, & hoc præsentis tempore subscripti monachi inibi possidere vel dominari videntur, inspecta ipsa cessione superius scripti Principis, per nostrum præceptum plenius confirmatum, ad ipsum Sanctum locum, vel ad monachulos suos, qui ibidem deservire videntur, perenniter proficiat ad augmentum. Et ut hæc præceptio firmior habeatur, nos & præcelsa Domna & genitrix nostra Batildis Regina manus nostræ signaculis subter eam decrevimus adfirmare. Signum præcelsæ Domnæ Batildis Regine. Rado. Obto.

Monasterium S. Arnulphi, in Ducatu Valesiæ, apud Crispeium opidum.

Est Prioratus Congregationis Cluniacensis, sic dictus à S. Arnulpho Turonensi Archiepiscopo & Martyre. Cuius quidem sacrum corpus ut & Sponsæ ipsius S. Scariberge, adservatur in dicto monasterio S. Arnulphi apud Crispeium: quod licet exiguum sit opidum, in ditone Sueffionensi situm, est tamen caput Regij Ducatus Valesiani in Francia. Vixit autem S. Arnulphus sub Clodoveo

doueo